



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-58
SIGNAT. clvccccxiii.



II.

χαριστήριος λόγος

CHRISTO

PACIS PRINCIPI

nomine Scholæ nostræ, Ecclesiæ æmulæ
per duos discipulos
offerendus est,
quorum alter

IOHANNES CHRISTIANUS Ehrenhauf

Pulsnit. Lusat.

de Proximi Belli fluctibus

alter

IOHANNES ELIAS Bogel Budiss. Lusat.

de nuperrima Pacis fructibus

dicturus est,

utrumque ut

Patroni, Fautores, atque Amici

præsentia atque audientia

dignentur

majorem in modum

petit

M. IOHANNES Rosenberg

Scholæ Budiss. Evangel. Rector.



BUDISSÆ, Typis ANDREÆ RICHTERI 1679.

72



2.

In *missione* pugnare miserandum olim erat gladiatorum fatum. Nam hoc hominum genus se ita ludo vendebat, ut pateret se quocumque tempore *uri, vinciri, ferro necari*. Eadem ferè verba vim & mortem intentantia prodit nobis servus ille apud *Horatium* lib. 2. Sat. VII. p. 59.

Quid refert *uri, virgis ferroq; necari*
Auctoratus eas?

Et hoc erat Sacramentum gladiatorium, quod *Petronius Arbitrarius* in *Satyrico* sequentibus inclusit verbis: *In verba Eumolpi sacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari, ferroque necari, & quicquid alius Eumolpus jussisset, tanquam legitimi gladiatores, domini corpora animosq; religiosissimè addicimus: A Seneca lib. 1. Ep. 37. p. 144. Turpissimi auctoramenti appellantur verba, uri virgis ferroq; necari. Idem ibidem adjicit: Ab illis qui manus arena locant & edunt ac bibunt, quæ per sanguinem reddant, cavetur, ut ista vel invitati patiantur. Aliâ formulâ imperabatur gladiatoribus, ut ferrum reciperent. Num ut gladiatoribus inquit Cicero pro Sextio, imperari solitum, ferrum non recepit? Idem lib. 1. Tuscul. quæst. ferrum recipere jussus gladiator. Huc alludit Seneca lib. 1. de Tranquil. animi CXI. vives diutius, & morieris expeditius, qui ferrum non subducta cervice, nec manibus oppositis, sed animosè recipis. Et quia Agnes virgo Romana cælesti suo Magistro JESU corpus animamq; addixerat, atq; Spirituali se illi auctoramento obstrinxerat, hinc plusquam virili & gladiatorio animo, cum videret Carnificem, ceu Mirmillonem quendam stricto ferro, vel ut *Prudentius* lib. 1. p. 59. v. 68. canit mucrone nudo se petentem, v. 75. l. c. exclamat:*

lbo

3.

Ibo irruentis gressibus obviam,
Nec demorabor vota calentia:
Ferrum in papillas omne *receptero*.

ἡρόδωτα μὲν τὰ igitur erant hæ formulæ ex Circo Romano
petitæ: *Sine missione pugnare, ferro necari & ferrum recipere.*
Utinam autem hæ assiduæ & cruentæ gladiatorum pu-
gnæ tantum circorum & theatrorum propriæ perman-
sissent, nec, ex Urbe in totum Orbem Romanum, imo
(quod magis dolendum est) in Christianū cōmigrassent.
Certamina Circensia mitigari & tandem tolli potuerunt;
Sed aut nunquam, aut certè ad breve tempus illa Martia-
lîa. *Augustum* quidem, ut erat mitissimi ingenii Prin-
ceps, gladiatores edi *sine missione* prohibuisse, Auctor est
Svetonius in Augusto C. 45. Sed hæc lex parum servata
â sævissimis Successoribus *Caligulâ, Claudio, Nerone, Domi-
tiano* atque aliis. Sævitiâ *Claudii* in gladiatorio mune-
re refert paulò ante dictus Historicus *in Claudio C. 34.*
eumque mutuis gladiatorum cædibus adeo delectatum
scribit, *ut cum par quoddam (sc. gladiatorum) mutuis ictibus
concidisset, cultellos sibi parvulos ex utroque ferro in usum fieri sine
morâ iusserit.* De Neronis immanitate in simili ludo vid.
idem *in Nerone cap. 4.* & in primis *cap. 12.* ubi loco servo-
rum *quadringentos, sexcentosq; equites Romanos ad arena mi-
nisteria atq; ad ferrum exhibuit.* Hos omnes superavit
Commodus, qui ipse novo & insolito exemplo in arenam
descendit, cum nobilissimis quibusque gladiatoribus ma-
nus conferuit & mille retiarios partim vicit, partim oc-
cidit, teste *Lampridio in Commod. cap. 12.* Hinc superbus
ille *Commodi Titulus* quem simulacri *Colosseibasi* in-
scribi curavit: *Mille gladiatorum Victor.* *Herodian. lib. 1.
cap. 15.* sed quod *Augustus* vel in immanitate saltem miti-
ganda,

Senatores

4.

ganda, Constantinus autem & Theodosius Magnus, In-
cet Christiani Imperatores, & de Ecclesia Christianâ opti-
mè meriti in eâ tollendâ non potuerunt, id feliciter,
Theodoricus Rex Gothorum perfecit; Theodoricus, in-
quam Gothicæ i. e. Germanicæ Originis, qui à Zenone Im-
peratore Constantinopolitano missus Odoacrum Re-
gem Herulorum in Italiâ vicit, atque totam sibi Italiam
subjugavit, usumque lanistarum penitus sustulit. sic gla-
diatorius sanguis, qui stupendâ aviditate & profusus &
spectatus fuit, suppressus est. Interim armorum ta-
men militarium furor in humano effundendo, sangui-
nenunquam & nusquam fere bonâ fide conquievit. Si-
ne *missione*, vel ut Florus loquitur *lib. 1. c. 11.* assidue & sine
intermissione in orbe Romano ab illo tempore ad nostra
usque pugnatum est; ut jam nihil dicam de bellis perpe-
tuis à Romæ incunabulis ad *Augustum*, & ab *Augusto* ad
Augustulum nomine atque omine talem gestis. Post-
quam enim Imperatorium à *Æliana* ad *Carolus M.* Germa-
num (quicquid etiam ogganniat in *Method. Hist. c. VII. p. 421*
Bodinus Gallus, Gallum (Carolus, natione fuisse conten-
dens) arma Germanorum non minori ardore & con-
stantia quam Romanorum, per omnes Orbis partes fuere
circumlata. Habuit Roma magnos & perpetuos suos
bellatores; habuit etiam Germania Roma suum
L. Siccium Dentatum apud *Plinium N. H. lib VII. cap. 28.*
ostentat, qui *centies & vicies* (verum sub aliis & quidem
9. Imperatoribus) *præliatus*, *octies ex provocatione vi-*
ctor, *quadraginta quinque cicatricibus adverso corpore insignis,*
nulla intergo: Eadem *Pompejum* producit. Breviarium
rerum ab eo gestarum delubro *Minervæ* inscriptum apud
eundem *l. c. cap. 26.* legitur his verbis: *Cn. Pompejus M.*
Imp. bell. XXX. annorum confecto, fasis, fugatis, occisis, in
deditio-

5.
*deditionem acceptis hominum vicies semelcentenis, LXXIII. M. depressis aut captis navibus, DCCCXLVI. oppidis, castellis MDXXVIII. in fidem receptis: Terris à Mæotis lacu ad rubrum mare subactis, votum merito Minerva. Eadem Roma crepat suum Marcellum, qui unde quadragies dimicavit, & Marcello majorem Cæsarem, qui signis collatis quinquagies Imperatoriâ dignitate ornatus aciem instruxit, & præter civiles victorias undecies C. & XCII. M. hominum præliis occidit. vid. Plin. c. l. cap. 25. Confer. Lips. lib. II. de Constant. c. 22. p. 137. Hos inquam Roma habuit; contra Germania Albertum I. Auftriacum, qui duodecies acie. conflixisse dicitur: imo instar omnium Heinricum IV qui Marcellum & Cæsarem supergressus bis & sexagies pugnasse scribitur *Matthia in Teatro Hist. p. 904.* Quemadmodum etiam Roma intra se (ut Florus lib. III. c. 21.) parriciale bellum strinxit, ita ut in urbe mediâ ac foro, quasi arena, cives cum civibus gladiatorio more concurrerent: ita etiam Germania sæpè contra seipsam se armavit, pugnavit, seipsam vicit, & tantum non seipsam penitus perdidit. Non immerito illud Lucani l. l. v. 8. quis acclamare nostratibus tum potuisset:*

Quis furor ô cives? quæ tanta licentia ferri
Gentibus invisis vestrum præbere cruorem?

Quod si verò furor est cum civibus cives cum Germanis Germanos pugnare, quanto major furor erit cum Christianis Christianos, cum Evangelicis Evangelicos infestis signis concurrere? Agesilaum aliquando fortunam Græciæ commiseratum esse tradit Nepos XVII. 5 cum nempe ingens multitudo Græcorum à Græcis esset cæsa: namq; illâ multitudine, si sana mens esset, Græcis supplicium dare Persas potuisse. Eccquis non commiseratione moveatur?

tur? quis non ingemiscat? Cum audiat tantum Evangelicorum numerum, qui uno Spiritu Pacis regi, atque uno pacis vinculo *Epbes. V. 1, 3.* constringi deberent mutuis bellis & cædibus consumi, quibus, si sana mens fuisset, dare pænas Christiani nominis hostes potuissent. Starent adhuc Græcorum Republicæ quarum 100. numerat *Piccartus in Comment. in c. V. II. lib. VII. Polit. Arist. p. 1010.* nisi intestinis discordiis & bellis jugulum libertatis suæ petiissent. Ad hæc concitanda & fovenda, quo regno suo otium constituerent, nullis sumptibus pepercere *Perfarum Reges.* Horum vestigia secutus est *Philippus Macedo*, quem *Statistarum* i. e. eorum, qui statum quocunque modo, etiam turpi, servare, firmare, atque augere student, *Patrem* merito appello. *Miser cordia enim & perfidia in eo pari jure dilecta.* Nullam apud eum turpis ratio vincendi, qualia elogia invenies apud *Justin. lib. IX. cap. 8. & lib. VIII. c. 1.* velut è speculâ quâdam omnium libertati insidiatus scribitur, dumque contentions Civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresque subire regiam servitutem coëgit. Et hæ sunt artes illæ reconditæ quas recoxit famosus ille *Machiavellus*, easque non refert, sed docet *lib. II. cap. 25. pag. 397. de Rep.* sequentibus verbis: *Medus* inquit, qui in hujusmodi casibus servari solet, talis est, ut te velut Arbitrum interponas ad conciliandas discordias, & utriq; parti favere te simules, donec ad arma perveniant. Cum ad arma ventum fuerit, parti, qua debitor videtur, lenta quedam auxilia suppeditare, & ne discedant ab armis, sed magis magisq; se mutuo conficiant, auxiliorum spe subinde fovere, magna auxilia neutri parti suppeditare, ne forte dolum subesse animadvertant. Hæc res diligenter tractata ad propositum finem te facile deducet. O Germania habes etiam Tuos *Philippos*, qui libertati Tuæ insidias struunt, lites inter

7.

inter Tuos ferunt, & alunt, omniumq; rerum Arbitri
se constitui volunt, à quibus nisi caveris, actum erit de
Tuâ Ecclesiasticâ & Politicâ libertate, quod DEUS
Clementissimus avertat. Et nisi is hætenus avertisset,
jam dudum funditus periisses. Idem in proximo bello
compluria Consilia ex intimâ *Machiavelli Pseudo Politi-*
câ de prompta elusit, partem etiam quandam Germa-
niæ, cui etiam nos (DEO sit gratia) accensendi sumus, à
communi belli incendio intactam esse iussit, & tandem
tot votis expetitam, tot lacrymis quæsitam toti GER-
MANIÆ PACEM restituit. Quantò majus autem pe-
riculum à cervicibus nostris per DEUM est depulsum, tan-
tò majores ei debemus grates. Tantæ fuit Atticis læti-
tiæ Pax cum Lacedæmoniis inita, ut, testante Nepote
in Timotheo C. 2. §. 2. *primum ara Paci publicè sint facta,*
eique Deæ pulvinar sit institutum. Romani Græcorum
in multis partibus æmulis eodem modo paci divinos ex-
hibuere honores. *Augustus* Pacis simulacrum posuit,
ut annotavit Dio lib. 54. pag. 544. *Flavius* verò *Vespasianus*
templum Pacis foro proximum extruxit, referente eodem
Dione lib. 66. p. 752. & *Svetonio* lib. 8. p. 745. In hoc collecta
ac disposita fuisse scribit *Josephus* lib. VII. c. 24. quorum visendo-
rum studio totum per orbem antea vagabantur *Herodianus* lib. 1.
c. 14. p. 45. illud templū vocat tot à urbe maximū, pulcherrimū,
omniumq; opulentissimum, egregiè munitum, multoq; ornatum auro
atq; argento. Nos in fratitudinis studio paganis cedere,
nefas; Sed Paci nihil, Pacis verò Auctori, atque Affer-
tori DEO triuni templum Cordis nostri, inque eo aram gra-
ti affectūs dedicamus & consecramus. Ad hanc ipsam
aram referendæ sunt primitiæ eloquentiæ, quas duo
in frontispicio nominati discipuli, ab ingenio atq; animo
nobis probati publicè offerre voluerunt. Ex hisce pri-
or

or oculis Auditorum subjiciet *belli proximi furorem*. &
concludet Carmine *Latino*: posterior verò *principes Pacis*
Fructus, quos DEUS hæctenus nobis, totâ ferè Germa-
niâ interim turbante & turbatâ, sub

Rutæ virentis frondibus

Concessit, verba faciet, & metro Germanico, DEO pro
Pace servatâ & firmatâ gratias aget. Ut autem fructus
Pacis debitâ perpendantur curâ, animique in gratiis DEO
habendis magis incalescant, concludere placet arguto
illo Epigrammate, quod habet, *Hoffmann. Cent. 1. Ep. 82.*

Mars *aras* superûm turpes transmutat in *haras*,
Et *scalas* infert in sacra tecta *scholas*:
Curia repletur *curis*, *privata*q; *sedes*
Est *privata* suis & spoliata bonis.

Perscriptum BUDISSÆ die 14. Novembr. 1679.



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287



Sb,

VD 17
Sep. 2000 Pd.







λογος
S T O
RINCIPI

æ, Ecclesiæ æmulæ
scipulos
is est,
alter

MANUS Ehrenhaus
Lusat
lli fluctibus

Bogel Budis. Lusat
acis fructibus
s est,
ue ut

, atque Amici
ue audientiâ
ntur
modum

S Rosenberg
vangel. Rector.



REÆ RICHTERI 1679.

72

